

D. O. D.

DISSERTATIO HISTORICA

DE

ORIGINE
FENNORUM,

CUJUS PARTEM PRIOREM,

Suffrag. Ampl. Fac. Phil. in Reg. ad Auram Academia,

Sub PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS
BILMARK,

HIST. ET PHIL. PRACT. PROF. REG. ET ORD.

Publice ventilandam sistit

ALUMNUS REGIUS,

FRIDERICUS COLLIN,

SATACUNDENSIS.

IN AUDIT. MAJ. DIE II. JUNII, MDCCLXIV.

H. A. M. C.



ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL,

Boreal. A.

VIRO AMPLISSIMO atque CONSULTISSIMO,
D^N. D^OCT. OLAVO
P R Y S S,

JURIS Patrii & Rom. PROFESSORI Reg. & Ord.

MÆCENATI MAGNO atque NUTRITIO
INDULGENTISSIMO.

Nullum omnino prætermitto diem, quo memoriam beneficiorum a TE, MÆCENAS MAGNE, mihi collatorum non recolo, quippe quæ tanta sunt, quanta unquam a benignissimo Patrono devotissimus expectare queat cliens. Atque ut unica exprimam linea, quod plures ægre caperent pagina, Tuis muneribus dejectam spem meam erexisti, Tuisque saluberrimis consiliis acceptos refero, quos in studio litterarum fecerim, progressus. Ne igitur mireris, quod studiorum meorum primitias in publicam lucem editurus, in certissimum gratissimi animi pignus easdem TIBI dicatas voluerim. Fateor equidem, easdem minoris momenti esse; sed cum præstantiores offerre non potuerim, spero TE, VIR CELEBERRIME, pro ea, quæ TIBI propria est, humanitate easdem benigne fore excepturum. Quod si feceris, numerum beneficiorum mihi præstitorum insigniter auctum credam. De cetero Supremum Numen calidissimis nuncupabo votis, velit TE, MÆCENAS OPTIME, omnigena felicitate maestatum conservare, ut Patriæ, Reipublicæ Litterariæ, atque Familiæ Nobilissimæ commodis quam diutissime sufficias. Ad cineres usque permanurus

Amplissimi atque Consultissimi NOMINIS TUI

cliens devotissimus
FRIDERICUS COLLIN;

VIRO AMPLISSIMO,

D: NO JOHANNI
HISING,

ADSESSORI atque Officinarum Ferrariarum in Fagerwik &c.
POSSESSORI maxime inclyto,

PATRONO & MÆCENATI OPTIMO.

Inde ab obscuris montium cryptis ad læta usque Parnassi juga audimus Nomen Tuum, *Amplissime Domine* ADSESSOR, celebrari. Laudant alii rerum ferrariarum peritiam, alii extollunt œconomix promovendæ studium, omnesque ad unum prædicant generosum Tuum animum. Nullus igitur dubito, ad limina Tua, MÆCENAS OPTIME, accedere; me quippe erigit & confirmat singularis ille favor, quo fratres meos carissimos meque ipsum nullo non tempore excepisti. Ne igitur malefano silentio in justam reprehensionem incurram, has pagellas de Origine Fennorum in pignus gratissimæ mentis Tibi consecratas volui. Adspicias illas, enixe oro atque contendo serena, qua soles, fronte, & magnis Tuis in nos beneficiis perpetuitatem, qua nihil majus optamus, benigne addas. Ego vicissim devotissimis precibus Summum rerum Moderatorem fatigabo, ut omnium rerum successum, votis etiam Tuis felicior, quotidie experiaris. Ero, dum vixero,

AMPLISSIMI NOMINIS TUI

humillimus cliens

FRIDERICUS COLLIN,

VIRO admodum Reverendo atque Praclarissimo,

D: no THOMÆ PACKALENIO,

Ecclesiæ, quæ DEO in Stor-Lojo colligitur, PASTORI meritissimo, nec non adjacentis districtus PRÆPOSITO gravissimo,

AVUNCULI loco ad cineres usque colendo.

VIRO Strenuissimo,

D: no JOHANNI BRUSELL,

SUBCENTURIONI maxime inclyto.

VIRO Praclarissimo,

D: no Mag. NICOLAO TURDIN,

CONNECTORI Scholæ Cathedralis Aboënsis dignissimo,

PATRI loco semper honorando.

VIRO Perquam Reverendo atque Clarissimo,

D: no JONÆ LAGO,

SAGELLANO in Jalasjärfswi meritissimo,

ADFINI Carissimo, Honoratissimo.

Tot tantaque sunt Vestra, Fautores Optimi, in me beneficia, ut si eadem celebrandi occasionem amitterem, omnium certe ingratus essem. Ne igitur culpam adeo gravem contraham, in pignus venerationis, nunquam intermeritura, dissertationem hanc Academicam Vobis offero; quam si benigne excipiat, habebit, de quo in sinu impense laetor. Immo, ut hactenus, ita quoque in posterum pro perenni Vestra felicitate ardentissima fundere vota non desistam, permanens,

NOMINUM VESTRORUM

cultor humillimus

FRIDERICUS COLLIN.



..... *Altius omnem
Expeditam, prima repetens ab origine, famam.*

VIRGILIUS.



quando oculos per diffusum hujus mundi theatrum circumferimus, satisprehendimus superque, quod singula continuis fere mutationibus sint obnoxia, nec, quam primum acceperunt formam, diu invariata retineant. Sive enim eximia illa in caelesti laqueari fulgentia corpora, quæ sua magnitudine effectus vicissitudinis eludere posse videntur, consideremus, sive etiam durissima lustremus metalla, quorum particulas ita solidavit natura, quasi easdem nulla omnino vi frangi vellet; abunde constabit, tum quod illa in fati servitutum veniant, & suas patiantur mutationes (a), tum etiam quod hæc longo usu atterantur, & vetustate tandem sua fatiscant. Luculentissima porro va-

A

riatio-

riationis vestigia non tantum in singulis hominibus, verum etiam in integris conspiciuntur nationibus. Profecto sicut plantæ nonnullæ sedula olitorum opera, quod ad formam atque colores haud parum mutari solent; ita quoque partim institutis atque idoneis legibus, partim variis de casibus factum novimus, ut gentes a prima indole successu temporis vehementer deflexerint, & a majoribus suis immane quantum hodie differant. Quas proinde in originibus gentium investigandis experimur difficultates, ex gravi illa, quæ sortem nostram comitatur, conditionum mutatione imprimis sunt derivandæ. Cui accedit, quod Historia, quæ in isthoc negotio facem nobis præferre debebat, nos plerumque deserat; quo factò, tenebris plus quam cimmeriis circumfundimur. Novimus equidem, quod omnes omnino nationes, quæ vel olim floruerunt, vel hodie vigent, ex paucis illis hominibus, quos ex æstu undarum diluvii universalis incolumes servavit Optimum Numen, suos repetant natales, nec ignoramus quinam fuerint, qui propiore cognationis gradu hos generis nostri statores attingant; possumus etiam a nostro tempore per intervallum plurium seculorum recurrere atque majores satis antiquos, non tam singularum familiarum, quam potius integrarum nationum ostendere; verum inter ultimos illos Noachi Nepotes, quorum mentionem facit Scriptura Sacra, & primos majores, quorum memoria ex antiquissimis nostris monumentis injuria temporis non fuit ob-

fo.

soleta, vastissimus occurrit hiatus, cui supplendo humana haud sufficiet sagacitas. Horum insuper impedimentorum molem valde augent nodi quidam Gordii, qui in casibus obveniunt peculiaribus. Sic annales non raro occasionem nobis præbent cogitandi, quod hæc vel illa natio, a prima sua stirpe avulsa, in distitas maxime terras pervenerit, & alii genti quasi inserta fuerit; quam rursus opinionem ægre admittimus, perpendentes, tum quod ignoremus, quo tempore aut quibus casibus ipsa adducta longinquis hisce migrationibus sese accinxerit, tum etiam quod cum finitimis aliis gentibus in multis ita conveniat, ut ejusdem cum his profapiæ esse videatur. In ancipiti hocce negotio tutissimum judicamus, tot notas gentis, cujus origo est investiganda, quæque ultimam ejus indolem prodere videntur, conquirere, quot unquam obtineri possunt, obtentas cum aliorum vetustissimorum populorum institutis ac moribus conferre; aut enim nunquam, aut ex hac perspecta convenientia, ad summam perveniemus originis probabilitatem. Hac igitur institimus via in origine Fenorum, qua vix alia magis ambigua est, indaganda, hanc quoque straverunt magni Viri, quorum vestigia, imparibus licet passibus, nunc premimus. Impense equidem colimus eximios hos Argyraspidas, & prolixis eorum meritis lubentes adsurgimus; nihilo tamen minus, cum in præsentis argumento invenerimus alia, quæ ulteriori indigeant explicatione, alia vero, quæ non omnem sustinere videantur limam,

rem Palæophilis minime ingratham nos facturos existimavimus, si quæ nostra sit de antiquissimis Fennis opinio, ea, quæ ingenuum virtutis atque eruditionis alumnum deceat, modestia, paucis his pagellis proponamus.

(a) Vid. KEILII *Introd. in Ver. Astronom.* p. m. 261.

§. I.

Sicut Sveci Gothique crebris olim migrationibus distinebantur, ita verisimile admodum est, quod cum alios populos, tum præcipue Fennos nostros, quorum semper præcordia nobile idem gloriæ studium coxit, in societatem longinquarum expeditionum secum duxerint. Atque hinc factum est, ut fama eorum, jam inde ab antiquissimis temporibus, longe lateque per orbem percrebuerit. Enimvero cum linguam nostram non finitimæ gentes, nedum aliæ remotiores satis intelligerent; nec ipsæ veritatem factorum explorarunt, nec a majoribus nostris, quæ scriptis suis Latini, alique Auctores inseruerunt, mutuo acceperunt, sed rumoribus tantum hæc constant, quare etjam sublestæ sunt fidei. Post STRABONEM primus fere est PLINIUS, qui Fennorum facit mentionem: *Nec minor, inquit, opinione est Fenningia; quidam hanc habitari ad Vistulam usque fluvium, a Sarmatis, Venetis, Scyris, Hirtis tradunt* (a). Libenter equidem da-

mus,

mus, quosdam modo nominatorum populorum Fennis suam debere originem (b); quod vero Sarmatæ ac Venedi Fenniam nostram antiquitus incoluerint, nobis minus probabile videtur (c). Sicut Plinio æqualis fuit TACITUS, ita Fenno- rum meliorem non habuit notitiam; dubitat enim, an Germanis vel Sarmatis eosdem adscribat (d). Contigit autem genti nostræ, quod vix alii, ut nomen, quod ipsa ignoravit, a finitimis acceperit gentibus, & sub hoc, non autem sub proprio, remotioribus innotuerit populis. Majores scilicet nostri communiter dicti sunt FENNI, quæ vox Gothicæ certe est originis, gentemque, quæ Terram irriguam incolit, denotat (e). Sermone autem, nostris vernaculo, patria ipsorum Suomi vel Suominaa / ipsi vero incolæ Suomalaiset audiunt. Sive autem nomina hæc originem debent Fennicæ voci Suomu / squamam significanti, quod ingens piscium copia hic reperitur, sive etiam vocibus Suoo-Maa / terram palustrem denotantibus, quod frequentes in nostris oris paludes occurrant (f); facile patet, quod propria Fenno- rum cognominatio a Gothica sono magis, quam significatione, differat.

(a) Vid. *Histor. Natur. Libr. IV. Cap. 13.* (b) Conf. *Gust. Ad. HUMBLE Dissert. de Origine Livonum p. m. 24.* (c) Sauromatarum sedes ad sinum Caspium collocat STRABO *Geogr. Libr. III. Cap. V;* Tanaim vero deinde transeuntes, per orientales Europæ terras sese disperferunt, (d) *Vid. Ejust.*

German. Tom. IV. p. m. 156, 157. in usum DELPHINI. Auctor hujus editionis JULIANUS DIEHON ABBAS, dubium hocce soluturus, auctoritate NICOLAI SANSONIS contendit, Fennos esse gentem GERMANO-SARMATAM; sed ita nodum non solvit, verum audacter secat. Quantum enim a se differant Germani & Sarmatæ, qui in historia vel mediocriter est versatus, nemo ignorat. (e) Plura, quæ ad etymon nominis Fennici pertinent, attulit G. ARCTOPOLITANUS in *Dissert. de Orig. ac Religione Fennonum p. m. 3*, quorum tamen nullum satis appositum nobis videtur. Potius enim derivatur ab antiquo Gothico vocabulo FEN, quod paludosum denotat, unde in *Histor. HERWAR. p. m. 90: Brennar Fold oc Fen*, id est, ardent arida & humida. Hinc Carelii sese etiamnum *Vanno* salutant, & Moschovia *Vanaja* nuncupatur. (f) Vid. ER. CAJANI *Dissert. de Linguarum Hebraæ & Fennicæ convenientiæ p. m. 7*.

§. II.

Sive nominum convenientiam spectemus, sive etiam sedium viciniam lustremus, parum adeo a se differebant Fenni atque Venedi, ut facile quis in eam perduci posset opinionem, has gentes ejusdem esse originis. Quid? Quod eruditi nonnulli in hanc iverint sententiam, eandemque magno argumentorum apparatu probare sint conati (a). Si autem ejusmodi stirpis cognatio firmis adstrui posset rationibus, absque operoso negotio originem Fennorum dilucide evictam haberemus. Cum enim tantum non omnes Historici in eo conveniant, quod Venedi *Sarmaticæ* sint originis (b), *Sarmatæ* autem genus suum ad *Scythas* referre videantur (c); Fennorum

norum nostrorum natales extra dubitationis aleam
 forent positi. Dicam autem, quæ in arduo hocce
 negotio maxime probabilia mihi videantur. Quem-
 admodum igitur affinitas nominum *Venedorum* &
Vandalorum communem harum gentium stirpem
 non arguit (*d*); ita nec appellationum *Venedorum*
 ac *Fennorum* convenientia, hos illis suos debere na-
 tales, satis luculenter indicat. Profecto vetustissi-
 mi Scriptores plerumque Venedos a Fennis distin-
 guunt. TACITUS enim non solum seorsim men-
 tionem facit *Peucinatorum*, *Venedorum* & *Fennorum*,
 sed insuper diversos *Venedorum* ac *Fennorum* mo-
 res exponit; illis ad Sarmaticum vivendi genus
 propius accedentibus, his autem peculiari vitæ ge-
 nere gaudentibus. Porro sicut Venedi latrociniis
 admodum dediti fuerunt, ut idem perhibet TA-
 CITUS, (*e*); ita Fenni mitissimi, & omnibus Scan-
 tziæ cultoribus mitiores sunt habiti (*f*). Præter-
 eâ dum JORNANDES, Gothorum in Italia Episco-
 pus, expeditiones Regis HERMANRICI felicissimas
 describit, haud obscure indicat, diversas olim fuisse
 nationes *Venedorum*, quibus *Venedos*, *Antes* &
Slavos comprehendebat, nec non *Æstiorum* seu
Fennorum (*g*). Hoc tamen loco non est reticen-
 dum, quod sententiam nostram haud parum in-
 fringere videatur PLINIUS (*h*), qui Fenningiam
 etiam a Venedis habitari monet. Verum præter-
 quam, quod hic Historicus, sufficiente terrarum re-
 motissimarum notitia destitutus, gentes diversas
 admodum confuderit, insuper notandum, quod Ve-
 nedi

nedi oras Maris Baltici orientales olim tenuerint, donec ab Æsthis fuerint subacti (i); expulsis autem antiquis colonis, pristinum tamen nomen Sinui Venedico ad nostrum usque tempus manserit.

(a) Sic MESSENIUS in *Scand. Illustr. Tom. XI. p. m. 13*, Hinc, inquit, non obscure liquet, quod qui principio Venedi, postea Venni & Fenni, Finnique sunt appellati, cum Germani eos hoc tempore *Venner* nominant, & ab illis Sinus, quem accolunt, Venedicus inde nuncupatur. Adde A. GOEDINGI *Dissert. de Venetis p. m. 15. & 16*. Eandem sententiam fovet etiam CI. BIOERNERUS, quod cum ex aliis Ejus scriptis, tum præcipue ex *Prolegomenis ad Orthograph. Ling. Sivo-Goth. p. m. 13. not. w.* adfatim colligi potest. (b) Vid. PTOLOMÆI *Geograph. Libr. III. Cap. V.* CLUVERII *German. Antiq. Libr. III. Cap. XLIII.* nec non BJOERNERI *Schediasma de Varegis p. m. 124. in not.* (c) HERODOTUS *Lib. IV. Cap. CX. seq.* monet, *Ssuromatas* genus paternum referre ad Scythas, maternum vero ad Amazonas, ideoque *σολοκιζεν* seu *corrupte loqui*. Clarius adhuc Scythicam originem Sarmatis vindicant OVIDIUS *Trist. L. IV. Eleg. ult. v. 110.* & CURTIUS *Histor. Libr. VII. Cap. VII. 3.* Immo NICEPHORAS GREGORAS *Libr. II. p. m. 14*: Scythas, in Asiam expeditiones facientes, obsoleto patriæ nomine, Sarmatas se appellasse dicit. (d) Vid. CROMERI *Libr. II. de Rebus Polonicis Cap. X.* (e) Vid. *Ejusd. German. Cap. XLVI.* (f) Confr. JORNANDIS *Libr. de Rebus Geticis p. m. 1380.* (g) Vid. *Libr. nuper citat. p. m. 1412.* (h) Vid. *§. preced. Litt. a.* (i) Confr. STJERNHJELMI *AntiCluv. p. m. 35.*

§. III.

Missa igitur opinione de Venedorum ac Fenno-
rum cognatione, alii eruditi, iidemque superioris
subsellii, in illam iverunt sententiam, quod Majores
nostri ab ipsis Scythis seu Gothis suam repetant o-
riginem (a). Et profecto non pauca sunt argumen-
ta, quæ in istas partes nos trahere possunt. Mores
enim utriusque gentis non adeo discrepant, ut non in-
dolis quandam convenientiam prodant. Maxime autem
ad rhombum facit, quod vocabula nonnulla, in utraque
lingva occurrentia, non contemnendam indicent adfi-
nitatem. Immo cum aquæ eo puriores esse soleant,
quo scaturigini fuerint propiores, quis, inquit al-
laræ sententiæ vindices, spondere aufit, quin voca-
bula vernacula horum populorum antiquissimis tem-
poribus minus adhuc discrepaverint. Quibus omni-
bus accedit, quod, cum Sveci, Norwagi & Holm-
gardi (b), qui Fennos nostros undique ambiunt, e-
jusdem sint originis, haud facile concipi queat, qua
ratione peregrina gens inter bellicosas adeo nationes
fatis commodas olim invenerit sedes. Quantumvis
autem hæc speciosa videantur argumenta, non mul-
tum tamen momenti eisdem tribuimus. Etenim
nec in moribus horum populorum quidquam pecu-
liare, ceu omnino par erat, invenimus, ex quo
communis eorum origo colligi posset, nam sagittas
jaculandi peritia gentes tantum non omnes olim gau-
debant, quippe quam necessitas ipsa eas docuit, nec
convenientiæ linguarum tantum, quantum fatis vi-

detur; inest præsidii, ut in sequentibus ostendemus. Subversis ita fundamentis, quibus hi Auctores suam superstruunt opinionem, præcipua argumenta, quæ diversitatem generis Gothorum atque Fennorum luculenter probant, in medium proferemus. I:º igitur in annalibus nostris vetustissimis accurate semper distinguuntur Fenni atque Gothi (c). II:º Exteri etiam Scriptores distinctam utriusque mentionem faciunt. Sic PLINIUS primum loquitur de *Scandinavia*, quam *incompertæ magnitudinis insulam* vocat, & deinceps de *Fennigia hujusque incolis*. Gemina his sunt, quæ habet PTOLOMÆUS: *Minores autem gentes*, inquit, *tenent Sarmatiam penes Vistulam quidem fluvium, sub Venedis Gythones & Phinni* (d). III:º Notum est, quod Gothi, e Scandia emigrantes, & novas sibi sedes constituentes, urbibus ac vicis, a se occupatis, antiqua locorum natalium nomina plerumque imposuerint (e). Enimvero per totam Finlandiam vel nulla omnino, vel rarissima, & quæ coloniis, quæ recentiori ævo ad has appulerunt oras, ortum debent, occurrunt Gothica locorum nomina. Denique IV:º non est reticendum, quod in Finlandia nec ulli inveniantur Cippi Runici nec colles quidam sepulcrales (f), in quibus adornandis atque construendis Gothica natio olim valde fuit occupata. Non equidem ignoramus, quod hujus defectus variorum adduci soleant rationes, & quod partim genius Gothorum incultior, Marti quippe maxime deditus (g), partim etiam institutum OTHINI II, monumenta ejusmodi honoraria, vulgo *Bautasteini*, extra
na-

natale solum erigere prohibentis (b), in excusationem prætendi soleant; verum an isthæ argutiæ rem totam conficiant, merito dubitamus. Certe cum Gothi, in Daniam & Norwagiam demigrantes, immo etiam Byzantium versus expeditiones bellicas fuscipientes, Martis alumnis, qui illustribus facinoribus (*) inclaruerant, extra Scandiam tales erexerint tumulos (i); a veritate non abhorret, quod, si Fenni nostri Gothorum fuissent aborigines, nec memoriam majorum suorum grandibus monumentis, vel cælatis lapidibus retricare penitus neglexissent.

(a) LEIBNITIUS in *Actis Berolinensibus Tom. 1. p. m. 12.* existimat, Fennos Scandianorum aborigines, ab OTHINO II, hujusque affectis fuisse expulsos. Similiter BAYERUS in *Act. Petropolitan. Tom. 1. p. m. 387. seq.* Lapones, Fennos, Æstios, Livones, Curones, Lithuanos, Boruffos, paucosque alios ex Scythica stirpe repetendos esse censet; a quo parum abludit Nob. STRAHLENBERG in *libro Nord und Ost-Theil von Europa p. m. 86.* (b) De horum origine vid. *Dissert. Cl. Præsidis de Holmgardia Part. 1. §. 6, 7, 8, 9.* (c) Vid. STURLONIDIS *HeimsKringla Tom. 1. p. 5, 16, 22, 485*, item *Codic. Flatayens.* citat. à TORFÆO in *Histor. Norrig. Tom. 1.* Insuper in *sua Crymogæa p. 30.* memoriæ prodit ARNGRIMUS JONÆ, quod NORI pater fuerit PORRE, forte THORRE, & quod Gothlandiæ, Finlandiæ & Kuenlandiæ præfuerit. (d) Vid. *Geograph. Libr. III. Cap. V.* (e) Confr. ER. BENZELII *Colleg. Histor. Patr. Libr. II. Cap. XI.* (f) Vid. BIOERNERI *Descriptionem Gotbunheimia p. m. 44, 45.* (g) Vid. VERE-
LII *Runograph. p. m. 13.* (b) Vid. BIOERNERI *Examen*

Runicum P. II. §. V. () Goth. Starwirkium & Mannsmorum.*
(i) Confr. Epist. BRENNERI ad ER. BENZELIUM p.
m. 105.

§. IV.

Fecimus hætenus, quod plerumque observare solent viatores, qui ancipiti sese accingunt itineri. Sicut enim hi omnia primum notant devia loca, ne a justo declinent tramite; ita etiam nos varias Eru- ditorum opiniones de Origine Fennorum jam exam- inavimus, atque easdem, cum rei natura ita po- stulaverit, explosimus, ut ad veros eorum natales eo faciliorem nobis panderemus aditum. Vidimus au- tem Fennos nostros, neque Venedicæ neque Gothicæ esse originis, &, si eodem pergere vellemus modo, inter vetustissimas tamen Europæ nationes majores Fennorum nuspiam inveniremus, sed fateri cogere- mur, ipsos peregrinæ esse originis. Atque ut quæ nostra sit sententia libere dicamus, ad veritatem pro- xime accedunt, qui ab Israëlitis Fennorum repetunt natales. Hoc suspicatus fuit magnus ille Polyhistor, O. RUDBECKIUS *Pater*, qui, postquam prolixè o- stendisset, gentes Europæ ad tres omnino nationes esse referendas, cum aliæ ad Græcos, aliæ ad Cel- tas & aliæ denique ad Scythas pertineant (a), por- ro evincit, quod Fenni, salva monumentorum fide, ad neutram referri queant classem; id quod insuper ex nimia lingvarum discrepantia, adfatim probat (b). Conamina Patris admodum promovit acutissimus fi- lius,

lius, qui Fennos nostros ab Israëlitis evocat. Notum scilicet est, quod Assyriorum Rex SALMANASSAR, decem tribus Israëlitis e Terra Chanaan in loca deserta Persiæ, Mediæque abduxerit; qualia autem fata ipsas in his terris manserint, cum altum eorum sit apud Historicos silentium, plane ignoramus. Enimvero ex *Libr. IV. Cap. XIII. ESDRÆ* colligit RUDBECKIUS, quod tribus hæ una cum uxoribus & liberis ad septemtrionalia loca sese contulerint. Regio, quam in novas sibi delegerunt sedes, dicta fuit *Arsareth*, cujus partem, si Rudbeckio adfurgamus, constituit *Osericta*, Maris Baltici insula, electri proventu admodum celebris. Deinde firmissimum sententiæ suæ argumentum ex convenientia Linguæ Hebraicæ & Fennicæ sumit. Ipso enim monente, in Lingua Fennica non solum occurrunt vocum Hebraicarum radices & significationes, sed etiam rationes per casus & tempora flectendi & nomina & verba, quorum non pauca ad imitationem Hebræorum, quatuor parent Grammaticorum conjugationibus. Quibus si adjiciatur, quod Fennis atque Laponibus adhuc in usu sint, præter affixa, quæ vocantur, etiam suffixa, nec non similis sit ratio Pronominum separabilium & inseparabilium, quæ est apud Hebræos, multum sane roboris huic opinioni accedit (c). Præterea cum in Finlandia sint appellationes variorum pagorum atque oppidorum, quæ a nominibus similibus locorum in oriente parum aut nihil discrepant; hinc porro cognationem gentis Hebraicæ atque Fennicæ deducit illustris hæc Auctor, Hæc omnia ab-

unde confirmant similes, qui in utraque gente reperiuntur, ritus atque consuetudines (*d*). Ingeniosam hanc opinionem per omnia adoptavit, adoptataque argumenta variis eruditorum testimoniis confirmavit atque explicuit Cl. G. ARCTOPOLITANUS (*e*), cujus vero placita seorsim nunc proponere & enucleare, instituti nostri ratio minime permittit.

(*a*) Vid. *Atlant Tom. I. Cap. III. §. XI, XII, XIII. p. m. 58. seq.* (*b*) Confr. *libr. modo citat. p. m. 71.* (*c*) Hæc singula dextre exposuit RUDBECKIUS in proluxa epistola, quam in *Dissert. ARCTOPOLITANI de origine & Religione Fennorum* integram videas. (*d*) Vid. *Dissert. cit. p. 17.* (*e*) Vid. *elegantissimam hanc Dissert. sæpius citat.*

§. V.

Hypothesin RUDBECKIANAM pro ea, qua eminet, auctoritate, nec non pro eo, quo pollet, ingenii acumine atque rerum Fennicarum peritia vehementer promovit Illustrissimus Regni Svethici Senator &c. idemque Purpuratorum Senior, Dn. GUSTAVUS BONDE. In calculis autem suis subducendis pro vindicanda origine Fennorum ab Israëlitis, nititur partim convenientia linguæ Fennicæ cum Hebræa, partim etiam auctoritate DIODOR. SICULI (*a*), qui memoriæ prodit, gentem, in Media habitantem, a Rege Scytharum trans Tanaim fuisse delatam, indeque per Scythiam sese dispersisse. Enimvero cum Israëlita, in captivitatem abducti, in Mediam

diam usque penetraverint (b); a veritate non est remotum, quod hi ad Arctos sese contulerint plagas. Deinde maximus hic Antiquarius plurimum tribuit auctoritati *Libr. IV. ESDRÆ Cap. XIII.*, atque am-
 babus complectitur manibus argutam capitis hujus
 explicationem, quam nobis reliquit *Perillustris Baro
 atque Præses VELLING (c)*. Nervus autem argu-
 mentorum, ab ipso allatorum, hic ferme est, quod
 Israëlita, miseras captivitatis Assyriacæ pertæsi, in-
 ter se convenerint, ut in regiones, longissime inde
 distitas, quas nulli hactenus occupaverant mortales,
 sese conferrent, has vero non alias quam incultas
 Scytharum solitudines, terramque *Mongalensem* seu
Mongulensem fuisse, opinatur (d). Circa idem fere
 tempus celebris ille Hassiæ Landgrafii Bibliotheca-
 rius, insignisque Historicus ARCKENHOLTZ ma-
 gno judicio & consuetæ auctoritatis examina-
 veriones illas de Fennis, quas operi suo inferendas
 curarunt Auctores Encyclopædiæ Leodiensis (e), & ar-
 gumentis sive numerum, sive soliditatem spectemus,
 eximiis hypothesein RUDBECKIANAM, cujus men-
 tionem fecimus, egregie probavit. Ut vero adver-
 sarios suos, quos inscitæ admodum infimulat, con-
 fundat, partim consueta adducit argumenta, quod
 videlicet lingua Fennica ad tres illas antiquissimas
 populorum Europæorum linguas referri nequeat, at-
 tamen quod admiranda inter illam atque linguam
 Hebræam intercedat convenientia, ut alia plura, quæ
 in antecedentibus attulimus, reticeamus, quibus sin-
 gulis ulteriorem quasi limam addit illustris hic Scri-
 ptor,

ptor, partim etiam descendit ad characteres, populo Israëlitico peculiare, & inquit, an horum vestigia quædam in gente nostra reperiantur. Atque hac occasione nodum proponit Gordium, quem an subtilius formaverit, vel solidius resolverit, ego certe non dixerim. Scilicet noto notius est, quod Summus rerum Arbiter populum Israëliticum speciali modo in peculium sibi delegerit, & sancte ei præceperit, ut omnes circumciderentur. Si proinde Fenni ab his suos repetant natales, necesse etiam esset, ut circumcisionis quædam vestigia inter majores nostros existerent. Sed cum nulla hujus rei memoria, ne quidem per traditionem, ad posteros pervenerit; de probabilitate opinionis *RUDBECKIANÆ* multum decedere videtur. Enimvero ne his quidem arietibus ista convelli potest sententia. Sicut enim Israëlitæ, quemadmodum Sacræ docent Pandectæ, ex Ægypto emigrantes & per Arabiæ deserta iter facientes, circumcisionem longo tempore distulerunt; ita quoque Iraëlitarum colonia, per inculta Moschoviæ loca, lente transiens, opus adeo Sanctum tamdiu neglexit, donec in desuetudinem penitus abierit (f).

- (a) *Confr. Libr. II, Fol. 127, ex Edit. WECHSEL, Hanov.*
 (b) *Vid. TOBIÆ I: 16.* (c) *Vid. Opus Ejus Mago-Cabbalisticum & Theosophicum p. m. 322. & seq.* (d) *Quam nobis proposuimus brevis non permittit, ut singula, quæ huc pertineant momenta, nunc exponamus, quamobrem Lectores, harum rerum cupidi, consulant Kongl. Svänska Witterhets Acaemiens Handlingar Tom. I. p. 88. & seq.* (e) *Vid. La Troisième partie du Journal Encyclopedique du Liège faite pour*
 le

le Tier du Mois de Fevrier 1756. p. 31. seq. (f) Legi imprimis debet Lettre d' ARCKENHOLTZ aux Auteurs du Journal Encyclopedique du Liège 1756.

§. VI.

Cum gentium antiquissimarum natales dubii plerumque sint, nec filum quoddam Ariadnaeum semper suppetat, quo ex obscuro hocce labyrintho nos expedire queamus, Viris, de antiquis monumentis præclare meritis, consultissimum est visum, ubi Historia lucem nullam nobis præferat, ex linguarum convenientia, quæ inter diversas gentes obtinet eximia, nec non ex morum atque peculiarium institutorum congruentia, ad originis investigationem aditum sibi parare (a). Huic autem sententiæ sicut libenter adsurgimus; ita a recto tramite illi declinare nobis videntur, qui ex aliqui verborum harmonia vasta sibi effingunt systemata, & viso tenui ungue grandem mox delineant leonem (b). Contra ea nos aliquid momenti linguarum convenientiæ tribuimus, quando vocabula, tam quod ad litteras, quam etiam significationem satis evidenter congruunt. Immo cum in una eademque natione plures interdum dialecti inveniantur, ad illam, ceu antiquissimam, attendimus, qua utuntur populi, levibus commerciorum vinculis cum finitimis conjuncti. Hæc ipsa monere, instituti nostri ratio postulavit, cum dentur Eruditi, qui ex aliqui convenientia Linguae Fennicæ cum Gothica communem harum gentium originem statuunt (c). Enimvero vocabula
C illa,

illa, quæ Gothicum sapiunt labium, vel talia sunt, ut Fenni, a maris littoribus atque Svecorum commerciis remoti, eadem plane non intelligant (*d*); vel hic consensus inde repetendus, quod in utraque lingua multæ reperiuntur voces, quæ a lingua Hebraica, communi linguarum matre, haud incommodè deduci possint (*e*); ut alias, quas passim adducunt Historici, rationes silentio prætereamus (*f*). His addimus, quod quæ inter Fennicam atque Gothicam linguam intercedat convenientia, recentior sit; nec tamen tanta, quantam inter antiquam illam atque sinceram linguam Fennicam & Hebraicam obtinere deprehendimus (*g*).

(*a*) Vid. SHERINGAMUM in *Præfatione libri de Originibus Anglorum*, §. 3, 4, 5, nec non *Theſaurum Epistol. LACROZIANUM Tom. III. p. m. 79.* (*b*) Probe igitur JOSEPH. SCALIGER, in *sua ad ISAACI PONTANI itinerarium Gallicum epistola* monet: quod de duobus aut tribus verbis hodiernas dialectos ad præscarum origines referre, non adeo tutum sit. (*c*) Vid. *Epistol. BRENNERI insertam Dissert. Cl. HALLENII de Borea Fennia p. 38, 39, 40, 41.* (*d*) Quare CAJANUS in *Dissert. cit. p. m. 15*: De vocibus autem illis, quæ Svethicæ videntur originis, ut *Duomari* a *Domare* tenendum esse existimo, scilicet eas quidem antiquitus Fennonibus non fuisse proprias, sed hisce demum temporibus Fennicæ esse donatas civitate, quibus Fennones cum Svecis sub uno Rege amice vixerant, linguamque Svethicam sibi familiarem reddiderant. (*e*) Conf. OL. RUDBECKII, *filius, Epistol. ad Cl. WALLISIUM data p. m. 2.* (*f*) Vid. *citat. HALLENII Dissert. p. 39.* (*g*) Vid. *Orationem Rev. Episc. D. JUSLENII de convenientia lingua Fennica cum Heo*

Hebrae & Graec in Nob. NETTELBLADII *Schwedische Biblioth.* Tomo
I. p. 158. seq. nec non RUDBECKII *Atlant.* illustrat. p. m. 64. & seq.

§. VII.

Quamvis auctoritatem illustrium adeo Virorum, qui Originem Fennorum ex Tribubus Israëliticis, in captivitatem Assyriacam quondam abductis, proxime arcessant, maximi, ceu par est, faciamus, summamque, qua pollent, rerum antiquissimarum peritiam admodum agnoscamus; singulis tamen rite, uti decet, perpensis, nondum plene planeque evictum putamus, quod tribus istæ, captivitatis miseriis exhaustæ, ad septemtrionales nostras sese statim contulerint oras. Juvat autem rem paulo altius repetere. Igitur postquam Israëlitæ præcepta & beneficia Divina arroganter detrectassent, ad fœda gentilium deliria conversi, nec ulla ratione ad meliorem reduci possent frugem, placuit tandem Summo rerum Moderatori, qui quod æquum, quodque iniquum est, respicit atque justa lance rependit, contumacem hancce gentem ex fertilissima, quam hactenus incoluerat, terra excutere, atque pœnas, jam pridem promeritas, ipsi infligere. Diversis igitur temporibus acerrimos Assyriorum *Principes*, *Tiglath-Pileser*, *Salmanassar*, aliosque, perfidiam Regum Israëliticorum ulturos, in Terram Sanctam misit; quorum iste, comparatis ingentibus copiis, Samariam urbem obsidione cinctam expugnavit, ipsaque funditus everfa, Israëlitæ in servitutem tandem abduxit, abductosque in urbibus *Chalab*, *Habor* atque *Hara* ad fluvium *Gozan*, nec non in Mediæ oppi-

dis considerare iussit (a). Lustremus jam paulisper situm harum urbium, in quantum antiquissima monumenta facem nobis præferant. *Calab* igitur vel *Halab*, si rerum Judaicarum peritissimos Auctores consulamus, ad radices montis *Zagri* sita fuit (b), *Chabor* autem vel *Habor* situm obtinuit in orientali Euphratis ripa, & quidem in eo loco, ubi rivus ejusdem nominis in fluvium hunc sese exonerat (c). Ab hac urbe parum omnino distabat oppidum *Harau*, vel, ut ab aliis nuncupatur, *Charres* (d); immo perquam verisimile est, fluvium *Gozan* isthanc regionem vel interluisse, vel parum inde abfuisse (e). Quænam autem Mediæ civitates fuerint, tacente Scriptura Sacra, penitus ignoramus. Cumque adeo in ipso Assyrici regni quasi meditullio sedes suas acceperint capti Israëlitæ; minus certe probabile videtur, quod ut gravissimam, quam in hac terra perpetiebantur, tyrannidem subterfugerent, consilium mox iniverint de solo vertendo; præsertim si consideremus, quod inimicissimis undique cincti fuerint populis; quibus sine dubio injunctum erat, ut transitu in alias terras ipsos prohiberent. Præterea quamvis *Libro IV ESDRÆ* non multum tribuant auctores, qui nominatam defendunt opinionem; attamen cum in eodem nonnulla occurrant momenta, quæ peculiari ratione explicant, juvat quoque eadem ad rationis atque monumentorum trutinam expendere. Abduxit igitur Salmanassar Israëlitas trans fluvium, qui si interpretes audiamus, non alius fuit, quam *Volga*; quæ porro si vera esset conjectura, lata e-

labendi via Israelitis patefacta esset. Enimvero hæc opinio sibi tanto minus constat, quod quantumvis laxa Regni Assyrici fuerint pomœria, ad Volgam tamen usque sese non extenderint; quibus accedit, quod fluvius hic *in eodem Capite v. 43* expresse dicatur *Euphrates*, quem ante tranare cogebantur Assyrii, quam in Palæstinam pervenire possent. Memorizæ insuper prodit liber sæpe citatus, quod cum Israëlitæ sesquiannum peregrinando consumsissent, multisque periculis ac laboribus defuncti essent, tandem pervenerint ad locum, *ARSARETH* dictum, ubi fessos suos constituerunt penates. Si porro, præeuntibus nostris *ὁδοῦς*, in hunc locum inquiramus, alii nos deducunt in Scandinaviam, nec anhelis nobis prius, quam inter rigidas Laponiæ cautes consistere permittunt (*f*); alii tamen minus pernices faciunt Israëlitas, nec ultra terram Mongulensem eosdem in prima hac expeditione fuisse progressos, opinantur (*g*). Sicut vero ab hac sententia parum discedimus; ita priorem minus verisimilem judicamus. Cum enim inter urbes Assyriæ memoratas atque Australes Finlandiæ provincias sint 280 circiter miliaria Svecana, quam distantiam diversitas longitudinum locorum perquam auget; quisque facile intelligit, tam ingens spatium sesquianni tempore cum uxoribus, liberis atque pecudibus, inter confertissimos ubique hostes, & per loca maxime salebrosa atque invia confici haud potuisse.

(*s*) Vid. *I. Chron. V: 26*, *2. Reg. XVII: 5. 6. XVIII: 9-11.*
nec non *Tob, 1: 21*, ex quibus dictis, inter se collatis, ad-

fatim colligi potest, Israëlitas diversis temporibus in captivitate Assyricam fuisse abductos, quemadmodum recte observatum legimus in *Histoire Universelle &c. Tom. 111. p. m. 117. in not. atque p. 208.* (b) Vid. BOCHARTI *Phaleg. IV: 22.* (c) Confr. *Histoire Universelle Tom. cit. p. m. 201.* nec non *Tab. Geograph. ad p. 149.* (d) Vid. *libr. modo cit.* (e) Confr. *Lexicon Geographic. par Mr BRUZEN la MARTINIERE Tom. V. p. m. 723.* (f) Hæc est RUDBECKII sententia, ceu ex Differt. ARCTOPOLITANI cit. colligi potest. Ingeniosum autem magis, quam probabile est illud argumentum, quod ab etymologia vocis *Arsareth* sumit; contendens, illam significare *terram cedris luxuriantem*, cumque Scandinavia *juniperis*, quæ ad cedri species referuntur, abundet, oppido colligit, ipsam per *Arsareth* indigitari. (g) Vid. *Wissenschafts Academ. Handl. Tom. I. p. 86.*

§. VIII.

Recedimus equidem ita aliquantum a Ductorum vestigiis, quod tamen non studio aliis contradicendi, a quo maxime abhorremus, factum est, sed quod in has partes ipsa nos vocaverit probabilitas. Ante vero, quam nostram in arduo hocce negotio proponamus sententiam, obiter monemus, quod licet Fennorum originem ab Hebræis, uti par est, derive-
mus, liquido tamen determinare nequeamus, ex quibus tribus suum repetant genus. Si quis forte dixerit, primas in nostram patriam venientes colonias ex Israëlitis atque Judæis (a) fuisse compositas, nos dissentientes minime experietur. His præmissis, ad id, in quo cardo rei vertitur, nos accingimus. Quamvis igitur qualia fata Israëlitas post everfam manserint
Sama-

Samariam, annales fere reticeant; certum tamen est, quod quidam eorum in Assyria confederint (*b*), alii autem per Mediam atque Persiam fuerint dispersi, in quibus terris nepotes illorum etiamnum reperiuntur (*c*), alii rursus imminentes calamitates declinaturi in Ægyptum, cum cujus Rege SO dicto, Israëlitarum Rex HOSEAS, foedus paullo ante inierat, sese contulerint, & denique nonnulli in patria sua remanserint (*d*). Nec omnino dubitamus, quin Judæi, expugnata a NEBUCADNESARE Hierosolyma, tam per has, quam per alias terras, sese diffuderint. Enimvero cum Hebræi, tam in peregrinis regionibus gravissime vexarentur, quam in sua patria immanissimorum hostium impetum continuo sustinere cogerentur, vitamque per extrema quævis sic traherent, quod cuius animalis natura ingeneravit sese conservandi studium, ipsos impulisse videtur, ut quoties elabendi occasio daretur, ad septentrionales regiones, quippe hostium incursionibus minus eo tempore expositas, sese sensim converterent. Quod etiam factum est, siquidem multi eorum ad urbem Armeniæ Majoris (*e*), *Arsareth* (*f*) dictam, sedes suas aliquamdiu constituerunt. Sequenti tempore Armeniæ Rex HERACÆUS unum ex præcipuis Hebræorum Principibus ad se invitavit (*g*); qui, ut facile credimus, pro ea, qua apud Regem valebat, gratia popularibus tutum in hoc regno paravit asylum. Interjecto tempore cum Scythæ, Asiæ superioris Domini, in ipsam Palæstinam penetrasent, & multas ibi res felici-

liciter gessissent (b), probabile admodum est, quod Israëlitæ, eximia horum & fortitudine & æquitate capti (i), in natali autem solo vehementer exagitati, ipsis, ad gelida quidem, sed secura tuguria revertentibus, comites sese adjunxerint, immo, quod in littoribus Maris Caspii (k) aliisque conterminis regionibus penates suos tunc constituerint. Elapsis dehinc centum fere annis, cum Persarum Rex DARIUS HYSTASPIS, Scythas, aliosque his vicinos populos temerario ausu persequeretur, procul dubio, Israëlitæ, qui sævitiam Persarum non raro fuerant experti, una cum Scythis ad Scandinaviæ oras sese contulerunt; ex quibus primos Fennorum natales repetere non dubitamus (l). Denique cum POMPEJUS in Parthia & in aliis ad Caucasum sitis regionibus fulminaret, atque veteres inde expelleret colonos, præcipue vero, postquam Romani Hierosolymam funditus delevissent & Palæstinam vastassent, Israëlitæ catervatim boream versus sese receperunt, ubi post tot casus atque tanta rerum discrimina intemeratam obtinuerunt requiem (m). Atque hæc de migrationibus Israëlitarum in nostras oras dicta sufficiant; cognationem vero, quæ his cum Fennis intercedit, luculentis argumentis, DEO volente, propediem ostendere conabimur.

(A) Quæ hic forte objici possent, plene diluit Nob. ARCKENHOLTZ *Epistol. cit. p. 22.* (b) Vid. EISENMENGER in *Entdeckten Judenthume p. 516. seq.* (c) Hoc express-

presse monet *M^r CHARDIN dans son Voyage en Perse &c.*
Tom. III. p. m. 427. (d) Hoc tanto majori jure defendi-
 mus, quod *Cel. Göttingens. Professor MICHÄELIS* perspicue of-
 fenderit, quod Judæi omnes in captivitatem Babylonicam
 a NEBUCADNESARE olim abducti non plures, quam 11600
 viri fuerint, vid. *Götting. Anzeig. 1763. p. 418. 419.* (e)
 Ita situm hujus urbis definit *PTOLOMÆUS Geograph. Lib.*
V. Cap. 13; a quo non multum discedit *La MARTINIÈRE*
Tom. I. p. m. 1464. (f) Hac quidem ratione *Arsareth* non
 erit *Oseritha* *PLINII*, ut plerique hætenus existimarunt. Quod
 ad originem vocis attinet rem acutè tetigisse nobis viden-
 tur, qui dicunt, hanc Hebræa lingua significare *Terminum*
superstitum, vid. *LA MARTINIÈRE loc. cit.* Ceterum adeo ce-
 lebris hæc urbs quondam fuit, ut multæ regiones ab ipsa
 fuerint cognominatæ. Vid. *WITSIUM de decem tribub. IV.*
§. 8. (g) Confr. *BRENNERI Comment. de Origine & Re-*
gibus Armen. p. m. 10. (h) Occuparunt scilicet urbem *Bet-*
sheam, eamque *Scythopolin* appellarunt, vid. *SYNCELL.*
p. m. 214. (i) Certe Judæis, calamitatibus ferme exhau-
 stis, varia officia præstiterunt *Scythæ*, 2. *Maccabaor. XII: 30,*
31. (k) Vid. *MÖLLERS Sammlung de Russ. Geschichte citat.*
in Göt. Anzeig. loc. nuper cit. Præterea *Israëlitæ*, in *Circas-*
sia & Tatraria Dagestänensi habitantes, fatentur, se originem
 debere *Tribubus* illis, quas in captivitatem abduxit *Sal-*
manassar, Confr. *BRENNERI Epist. cit. p. m. 101.* (l)
 Vid. *DALINI Histor. Tom. I. p. m. 54.* (m) Quærat for-
 te quispiam, quis demum genius Judæis in aures infusurra-
 verit, ut ad Borealem sese converterent plagam? Scilicet
 coëgit ipsos necessitas, & migrantibus præterea satis apti
 ductores fuerunt lacus & flumina, per quæ *Moschovitæ* et-
 jamnum ad *Mare Caspium* usquè descendunt. Vid.

L' Histoire Universelle &c. Tom. III. p. m. 368.

627/220

ERUDITISSIMO DOMINO AUCTORI.

Amicitiam, quæ mihi Tecum, *Mi Conjunctissime COL-
LIN*, intercedit, cura educationis meæ, quam longo
fatis tempore gessisti, quamque quotidie intendi
sum expertus, & inchoavit & valde confirmavit. Qua-
re eam tanti facio, ut cum Attalicis etiam conditio-
nibus ipsam commutatam nolim. Tuis igitur com-
modis atque felicibus successibus adeo lætor, qua-
si boni quidquam mihi ipsi contigisset. Cum pro-
inde in lucem publicam nunc sis editurus elegan-
tissimam, a Te conscriptam, dissertationem de O-
rigine Fennorum, non possum, quin Tibi gra-
tuler eximium hoc ingenii Tui felicissimi docu-
mentum. Ipsa Patria, quæ justo complectitur amo-
re ingenuos omnes alumnos, qui honori Ejus jugiter
litant, exantlatis laboribus Academicis, lautissima,
ut speramus & vovemus, Tibi concedet præmia.

TUI

studiosissimus

AND. JOH. PRYSS.

PRÆSTANTISSIMO DOMINO AUCTORI.

Origines gentium tot tantisque plerumque sunt involutæ tenebris, ut
quamvis quis omnem adhibuerit industriam & solertiam, ad liquidam
tamen ægre pervenire queat veritatem, Arduo igitur, Eruditissime Domi-
ne, manum admovisti operi, dum Originem Majorum nostrorum indagare
conaris. Quanto autem successu hanc pertractasti materiam, præsens disser-
tatio adfatim comprobat. Mihi igitur temperare non potui, quin pro te-
nera illa, qua Te amplector, amicitia hac occasione Tibi gratuler eximios
in Litteris progressus, virtutem minime fucatam, morumque probitatem,
Utque honestissimis tuis conatibus faveat benignissimum Numen, omniaque
ex voto Tibi succedant, ex intimo voveo pectore!

HENRICUS H. WIDENIUS.